

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Caelivs secvndvs Cvrio

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)


CAELIVS SECVNDVS CVRIO
Philosophus.



*Cælo mens affixa prius mea, nunc quoque cælo
Viuit. quàm scitè Cælius ecce vocor!*

M. D. LXIIX.

V



CÆLIVS SECVNDVS CVRIO CYRIA-

ci Taurinorum oppido natus anno M.D.III:
Monticalerij educatus primâ pueritiâ : Adole-

scens Taurini ingenuis imbutus artibus:
Quum ob sinceram fidei Christianæ doctrinam,
quam ab ineunte ætate, spretâ superstitione Pon-

tificiâ, amplexus fuerat, varias ab hostibus per-
secutiones, carceres, vincula passus esset:
Semper tamen post tot Eporediæ, Taurini, Lucæ
intentatas mortes atque flammâs, præsen-

tissimâ numinis ope mirabiliter

ereptus:

Præcipuis Italiæ in urbibus, ac præsertim Medio-
lani & Papiæ, famâ eruditionis & religio-

nis suæ passim sparsâ:

Quum ob Pontificis Romani insidias amplius
in Italiâ se tutum esse non posse videret:

Laufannæ primò amplius quadriennio: ac dein
Basiliæ, à quâ & Magisterij insignibus ornatus,

& civitatis iure donatus fuit, Philosophiæ &
Eloquentiæ studia professus, annis

propemodum XXIII:

Præclarâ sui memoriâ ad immortalitatem tum
docendo, tum scribendo post se reliçtâ:

Magnâ cum laude veræ pietatis, & humanita-

ris, insignisque constantiæ:

Excessit è vivis Aet. S. anno LXVII. Sab. M. D.
LXIX. ad VIII. KL. DCB.



IN CAELIVM SECVNDVM

Curionem.

PAVLI CHERLERI.

Arte potens, pietate grauis, sermone politus
Caelius, hic molles in leni funere somnos,
Iuxta cara sibi quondam sua pignora, carpit:
Cumq; his exurget, priscis reuidendus amicis,
Luce sub extrema: cum tu, fortissime IESV,
Viuu Dei soboles, sonitu praecunte tubarum,
Adueniens iudex liquidus in nubibus acer:
Iudicioq; premes orbem, & noua premia reddes:
Premia grata probis, reprobis ingrata: sed aqua,
Et fidei vacuis, ipforum debita faelis.

NICOLAI REVSNERI.

Si lacrymis decorare pios, & funera fletu
Fas est, quos nobis abstulit atra dies:
Te lacrymis decorare pium est, & funera fletu
Curio, quem Musis abstulit atra dies.
Sed neque tu lacrymis, nec egent tua funera fletu:
Cur? tua laus toto viuut in orbe prius:
Et tua mens caelo viuut sanctissima, CAELI:
Felix, cui fas est tam bene posse mori!

V ij